

ind mentio eius rei fiat, cum de nece hostium Judaici nominis Sufis narratur. Repetio est enim & veluti summa eorum quae antea contigerant.

Utro quidem fatemur stilum Graeci Interpretis aliquando, in iis maximè quae de suo ingenio inferenda ad ornamentum historiae censuit, cultiorem esse & elegantiore, quam pro more caeterarum Versionum literalium Sacrae Scripturae. Sed numquid propterea totum Opus ad fabellas amandandum, ejusque additamenta non nisi humani ingenii foetus habenda sunt? Quaedam interdum occurrunt (k) ex Hebraeo satis manifestè derivata, stilumque referunt Hellenistarum, & gustum Sacrorum Scriptorum, qua in periodis, qua in phrasibus expressum. Nec monstri loco habendum est, Assuerum Deum Israelis observasse, cum non minùs de illo religiose locuti sint Nabuchodonosor apud Daniele (l), & Cyrus apud Esdram (m). Plura sanè oculis Regis Persarum observata fuerant Divinae potentiae documenta, quibus ea edoceri de Deo, quae in suo edicto fatetur, potuisset. Quia & illud iure meritoque asserendum nobis videtur, Mardocheum, quo auctore edictum illud prodit, nec à debita in Regem observantia recessurum se quidquam credidisse, neque contra Regis voluntatem acturum, si pios item & obsequii plenos in Deum sensus exprimeret. Quae ad genus Amani è Macedonibus relatum, quaeque ad consilium ipsius transferendi Imperium Persarum ad Reges Macedoniam pertinent, satis alibi discussa sunt (n).

k Vide Esther. 14. 11. Ne tradas spiritum tuum his, qui non sunt. Et cap. 16. ubi paramybia usurpatur pro ultione. In examen etiam revocadus est stilus orationis Mardochei & Esther. J Dan. 2. 47. Eccl. 3. 65. 96. m 1. Esdr. 1. 2. 3.

n Esther 16. 10.

o Templum dedicatum est A. M. 3489. Et convivium Assueri incidit in A. 3486.

est apertissimum. An fortè Festum aliquod instituitur ad fabellae alicuius memoriam in posteros perennandam? Si Dei nomen nusquam in Exemplaribus Hebraicis legitur, id casui tribuendum est; cum alioqui tota narrationis series luculentissimos divinitatis & veritatis characteres exhibeat; quin & venerabile illud nomen, si minus in Hebraico, certè in additionibus in calce Operis appositis, quas canonicas recipimus, saepius repetitum est. Rari tandem Scriptores illi, qui in censu Sacrorum Librorum Esther non retulerunt, quid valeant adversus testium phalangem, quam nos in favorem Operis produximus; quibus accedit unanimes Judaeorum & Christianorum ferè omnium consensus, veritatem historiae ejusque auctoritatem agnoscentes? Quorumdam Patrum ambiguitas nullius planè momenti habenda est adversus tot sapientissimorum virorum expressam assertamque auctoritatem.

De Authore hujus Operis non satis convenit. Sunt qui Esdram statuunt (p). Esdrà recentiore auctoritate Eusebius; quis tamen iste Author recentior, silet. Pseudo-Philo Judaeus in Chronico, tradit Joachimum summum Sacerdotem Judaeorum filium Josue Opus illud rogante Mardocheo suscepisse. Magna Synagoga tribuunt Hebraeorum plures (q). Constat autem confecto Canone Judaeorum vetustiore esse librum, cum in eodem contineatur. Porro Canon ille ante obitum Esdrae, regnante Artaxerxe Longimano, absolutus est; quare sive Esdras sive magna Synagoga Author Operis statuatur, nihil prohibet. Plerique tamen Criticorum (r) autumant, Mardocheum ipsum quaecumque se potissimum auctore gesta sunt, scribenda suscepisse. Huic sanè unà cum Esther tribuendam constat Epistolam ad omnes undique Judaeos missam pro Festi Sortium celebratione (s). Porro Epistolam illam, levioribus quibusdam adjectis, Librum conficere, ex lectione cap. 9. Esther satis intelligimus. Jure igitur Esther & Mardocheus Libri hujus Authores potissimi habentur.

Potissimi, inquam; nonnulla enim in Opere occurrunt, quae sanè ab Epistola Purim aliena, & recentiori manu adjecta constat; ut illud (t); Susceperunt Judaei in solemnem ritum cuncta, quae eo tempore facere ceperant, & quae Mardocheus literis faciendae mandaverat. Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt Purim, id est sortium, eo quod Phur, id est Sors, in urnam missa fuerat. Quaeque sustinuerunt, & deinceps immutata sunt, suscepit Judaei super se, & super semen suum, & super cunctos, qui Religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere, quos Scriptura testatur, & certa expectant tempora annis sibi jugiter succedentibus. Verba illa & caetera deinceps in Textu Hebraeo ad exitum usque Libri adjecta, esse veluti epilogum Epistolae Esther & Mardochei, ut Epistola Libri forma daretur, nemo sanè non videt. Ibi de Mardocheo, tanquam de viro extraneo agitur; Epistola Sortium lau-

p Epiphan. de Ponder. & Mensur. Aug. de Civit. lib. 8. cap. 36. Isidor. Origin. lib. 6. cap. 2. q Talmudista in Baba Batra cap. 1. Rabb. plures. Vide Haet. Demon. fr. Evang. prof. Jos. A. de Libro Esther. art. 2. r Clemens Alex. lib. 1. Strom. Abenezra, Abrah. Sapiens, Bonfrer. Serar. & alii. s Esther 9. 20. 23. 26. & 11. 1. & 12. 4. Scriptis Mardocheus omnia haec, & literis comprehensa misit ad Judaeos. . . . & suscepit Judaei in solemnem ritum cuncta, quae Mardocheus literis faciendae mandaverat. . . . Cuncta, quae gesta sunt, Epistola id est Libri hujus vol. continentur. t Esther. 9. 23. 26. &c.

u Esther 9. 20. 23. 26. 32.

x Mercator. in Chronolog. y Vide Joseph. Antiq. lib. 10. cap. 12. z Ita Cedren. a Haradin. Chronol. V. T. pag. 101.

laudatur, simulque insinuat majorem Operis partem ex illa constare [u]. Tandem ad Annales Regum Persarum & Medorum provocatur, ut certum haberi possit testimonium de gloria, auctoritate, & potentia ab Assuero in Mardocheum collatis. Huic igitur, quicumque tandem esset, Authori vetera suppeditant monumenta, eoque scribebat tempore, quo & Epistola Purim, & Annales Persarum intacti adhuc servabantur. Quare si minùs coeva scriberet, certè tamen ex probatissimis monumentis Esther & Mardochei gate scriptis, quae literis mandaret, excerptat; ut nihil profus illi defuisse auctoritatis constaret, etiamsi suo tantum Marte, & non Dei Spiritu afflatus scriberet. Rem, de quibus in hac Historia, gestarum tempus crucem figit Eruditus. Ma-lunt alii ante solutam captivitatem consistere; alii post solutam. Harum etiam opinionum Authores in varias abeunt sententias; sunt (x) enim qui Assuerum hunc Scripturae ipsum credant Ahyagem patrem Darii Medii (y), sive Darium ipsum (z). P. Harduinus (a) contendit, Assuerum hunc filium esse Cyaxaris, & fratrem Ahyagis Medii, qui Persidem universam subegit, &

tributariam reddidit Babylonem, satis jam functis Nabuchodonosore & Balthasare. Qui post solutam captivitatem historiam illam revocant, alii quidem Assuerum hunc (b) confundunt cum Cambyse, alio nomine Assuero, sive Artaxerxe, qui aedificationi Templi Jerusalem intercessit (c). Ex illo parente statuunt Darium, qui anno Regni secundo intermissam Templi edificationem permisit (d). Alii Xersem ma-lunt (e); alii Artaxerxem Longimanum [f]; hi (g) Mnemonem, ac tandem Ochum [h]. Recepta tamen hodie opinio Darium Hytaspis tenet [i]; ad cuius aetatem vitam prorogasse potuit Mardocheus, unà cum Jechonia in captivitate Babylonicam deductus (k). Stetit Templum sub Esther satis constat ex cap. 14. 9. In universa ditione Assueri frequentissimi erant Judaei pariter & Israelitae, omnes Regio favore pollentes, ex quo Esther & Mardocheus ad Summas dignitates evecti sunt. In Aula hujus Principis nihil non Persarum indolem refert. Hisce conjecturis de aetate hujus historiae indicium capiendum est, omnesque Regno Darii Hytaspis quadrant.

b Hebr. in Serar. Olam. Ge-nebr. Chronol. Vatab. c 1. Esdr. 4. 6. d 1. Esdr. 6. 1. &c. e Joseph. Scallig. Emend. temporum lib. 6. Drus. in Esther 1. Cal-ochum [h]. Recepta tamen hodie opinio Darium Hytaspis tenet [i]; ad cuius aetatem vitam prorogasse potuit Mardocheus, unà cum Jechonia in captivitate Babylonicam deductus (k). Stetit Templum sub Esther satis constat ex cap. 14. 9. In universa ditione Assueri frequentissimi erant Judaei pariter & Israelitae, omnes Regio favore pollentes, ex quo Esther & Mardocheus ad Summas dignitates evecti sunt. In Aula hujus Principis nihil non Persarum indolem refert. Hisce conjecturis de aetate hujus historiae indicium capiendum est, omnesque Regno Darii Hytaspis quadrant. f Euseb. Chron. Beda Hieron. in Ezech. 4. & in Dan. 8. Sulpit. lib. 2. Hist. Sixt. Sen. lib. 8. Bibl. alii. h Serar. in Esther, Gordon. Chronol. i Rab. Salom. Abenezra Lyr. Feuard. Tirin. Cornelius Bonfrer. Uffer. Lancelot. Nos etiam, hanc praetuli-mus in Com-mentariis. k Esth. 2. 6. 11. 4. Validi Hebraeorum exercitus. a Vide 2. Par. 13. 3. 17. b 2. Par. 28. 6. diei

DISSERTATIO DE RE MILITARI VETERUM HEBRÆORUM.

QUE hodie contempta jacet & despecta Judaeorum gens, olim potentia, virtute, atque rei militaris peritia bellicosissimos omnes per orbem populos vincebat. Sive enim bellorum multitudo spectetur, sive devictorum hostium potentia, sive copiarum numerus, sive tam hostium quam peculiares illorum vires, rarus erit populus, qui Hebraeorum gloriae non concedat. Plura in Israele anterior aetas spectavit virtutis roborisque specimina, plura impavidis cordis facinora, plura exempla sapientiae simul, & prudentiae, quorum memoria multo sanè dignior est, ut cedro tradatur, quam quae de aliis populis vetustate celebrante ad posteros transmissa sunt. Quin & historiae fortiter ab illis strenuèque facta narrantes, ed ceteris Heroum historiae preferendae sunt, quod multo praestantius sunt, multoque absint ab assentationis, erroris, ignorantiae, tum & exaggerationis suspicione. Neque enim sive Romanenses fabulae sive Heroum poetica commenta in illis narratur. Vanos triumphorum titulos non iactantia hic & populorum assentatio, sed res fortiter gesta contulit; procul Urbium & Provinciarum praedones, quibus gerendi belli

non alia ratio suppedit, quam vincendi aliorumque bona diripiendi cupiditas. Viri sunt plerumque bellicae virtutis & sapientiae gloriae praestantes à Deo ejusque Spiritu excitati animatique, ut ejus altionem adversus crimina, & defensionem innocentium prosequerentur. Clara sunt inter illos nomina Josue, Calebi, Gedeonis, Jephthe, Samsonis, Davidis, & Macchabeorum, quorum nomina eternitati paria durabunt. Ea solet Judaeorum ratio haberi, quasi gens rara, brevioribus in Asia clausa limitibus, opprobrium & contemptum caeterorum populorum sustineret. Quicumque talia de Judaeis opinaretur, ille certè longissime à vero aberraret. Eos enim scribebant exercitus Hebraei, quos Graeci nunquam, nec Romani. Potentissimis quibusque Asiae Regibus populisque sive copiarum numero, seu virtute nihil concedebant, quin & superasse illos aliquando, ingentibus de his omnibus relata victoriis, visi sunt. Abia Rex Juda exercitum adversus Jeroboamum Regem Israel duxit 400000. viris instructum, cum vicissim Jeroboamus sub armis haberet 800000. commissisque inter eos praelio ad 500000. de militibus Jeroboami cæsi sunt [a]. Phacee filius Romelae (b) Rex Israel unius diei

dici spatio trucidavit 120000. virorum ex copiis Juda. Zara Rex Æthiopia, seu potiùs Arabiæ exercitum in ditionem Juda 1000000. militibus ac 300. curribus constantem duxerat, cui 600000. fortissimum Rex Juda opposuit (c); ejus prælii victoria penes Judæos stetit. David, & Salomon sub signis jugiter habebant ultra 300000. virorum (d); & Josaphat præsto fuisse leguntur 1160000. milium, quem numerum dispositi in arcibus custodes milites augebant (e). Quale, rogo, nostræ ætatis Imperium tam validum, florentemque scribere potuisset? Eo copiarum robore Chananæa omnis natio jugum subire coacta est, tum & dissimilari illam contigit; eo Syri, Philisthæi, Idumæi, Arabes, Amaleciti, Madianitæ, Moabitæ pluribus præliis fracti, dejecti, dissipati sunt. His viribus equâ diu lance pugnatum est cum Ægyptiis, Assyriis, Chaldæis, Syris, & Romanis; quin & non ignobile de illis omnibus relatæ sunt victoriæ, nec ante succumbere Judæis accidit quam infami criminum, & impietatum suarum ponderi succubissent.

Tanta Hebræorum potentia sive Persas, sive Græcos, Romanosve non latuit. Artaxerxes Rex Persarum 1. Efd. 4. 10. 20. bellicosissimam esse Judæorum gentem & extraneæ dominationis impatientem, cum Regibus suis bellicosissimis parère didicisset, ultro fatetur. In florentissimo illo Xerxis adversus Græcos exercitu inter innumeras, quibus constabat, gentes, Hebræos glorioso *Solymerum* nomine supra ceteros omnes gentes distinctos fuisse Josephus est autor (f).

Milium Hebræorum virtutem simul & fidem in pretio habuisse Alexandrum satis constat (g); illos proinde habere in exercitu studuit; illis ab eo Rege concessa privilegia, tum & sexcentæ amoris in eos sui datæ significationes. Demetrius Soter ad 30000. Hebræorum in exercitu suo scribi, si totidem potuissent, imperavit (h). Reges Ægypti Alexandri successores, eodem, quo author Imperii sui, amore Judæos prosequuti sunt; non semel enim armorum illis imperium commiserunt (i); corporis custodiam, tum & maximi momenti arcès. Quid Macchabæi in armis possent, Antiochus Epiphanes & Demetrius Syriæ Reges dispendio suo experti sunt. Virtutem & constantiam Judæorum insigni laudis elogio Diodorus Siculus commendans (k) testatur, Moysen insignem prudentiâ Ducem id præstitisse, ut commissus sibi populus ab ineuntibus annis belli artibus & tolerandis militaribus laboribus se traderet; suscepisse autem illum bella in finitimos populos, quibus florentissimâ regione exutis, Judæis locum amœnissimum fecerit. Tacitus etiam Hist. lib. 6. hoc de illis testimonium tulit: *Animas præliis peremptorum aternas putant; hinc generandi amor & moriendi contemptus.*

Hebræorum in armis virtus.

Quod igitur tractamus argumentum, nec minoris momenti est, nec Lectorum sedulitate indignum; quin & eò majorem exitum animi intentionem, quod expeditiones

plurimæ ab ipso Deo suscipiebantur (l). 12. Par. 13. 21. In exercitu nostro Dux Deus est, & Sacerdotes ejus qui clangunt tubis: inquit Abias Rex Juda. Vide etiam 2. Par. 14. 18.

Quandiu Israelitis in Domini obsequio & fide manere visum est, prospero semper successu bella gesserunt. Quæ enim Domini jussu susceptæ expeditiones, illa semper sub signis habuisse prodigia victoriæ prænotantur leguntur. Semper Dei manus pungentibus aderat, quæ robur victoribus, terrorem victis ingerebat. Elementa ipsa in Pharaonem ejusque exercitum in transfretatione Erythræi militare visa sunt. Occultâ manu percussus Amalec, cedere coactus est; occultâ, inquam, manu, que Moysis in monte orantis protensa manus motum sequi videbatur; Moysen enim ad preces puras manus tendente, Josue cum hoste manus conferens prævalebat. Israellem spatio 40. annorum in deserto iter habentem per mediam Arabiam & Idumæam hostes stupentibus similes immoti spectarunt. Edom, & Moab Divinorum armorum fulgore striditæ hærere visi sunt. Og & Sehon Reges Amorrhæorum finitimarum gentium terrores, territi ipsi, ne resistere quidem Moysi ausi sunt. Quid Josue gesta post obitum Moysis? nonne perpetua victoriarum series? Idem semper virium & felicitatis tenor perseveravit in expeditionibus Othonielis, Calebi, Gedeonis, Barach, Jephthe, Samsonis, Saulis, & David, cum illi jussu Domini arma sumperunt.

Cum verò pro arbitrio rem gerendam Reges illi suscepissent, excussoque Domini jugo omnia impotenter agere, omnia ad libitum disponere, bella, quæ maximè voluissent, gerere ceperunt, tunc Deus omnem à se curam rei ad prosperum exitum deducendæ amovit. Reges illi sævâ impotentia in prosperitate & pace feroces, cum bellis præmerentur imbecilles, hebetes, infelices in ludibrium & contemptum hostium venerunt.

Duo apud Hebræos bellorum genera distinguuntur; alia enim jussu Domini geriebantur; alia spontè sive Regum, sive populi voluntate suscepta sunt. Deo jubente manus conferta est potissimum cum Chananæis, Amalecitis, quæ dug gentes diro anathemati devota fuerant. Jussi proinde Hebræi exterminio illos delere; cautum ne foedus ullum ferire quisquam, sive in fidem recipere auderet. Reliqua in hostes Israelis suscepta bella arbitrio eorum, qui Republicanam administrabant, permittuntur. Jussis probatisque de causis poterant adversus hostes arma capere, suppetias sociis ferre, injuriam propulare, de crimine sive injuria ultionem exposcere; uno verbo, quod aliis in suscipiende bello permissum, id neque Judæis interdicitum.

Prodigia in bellis Judæorum.

Duo bellorum genera.

Indicendi belli ratio.

m Deut. 20. 10. usque ad 14.

Politicioribus quibusque populis jure & moribus insitum est, ne bellum prius suscipiatur, quam sive hostibus indicetur, sive debita injuriæ reparatio poscatur. Non antea iniri bellum Moyses præcepit, quam ut prius aequæ pacis condiciones hostibus proponantur (m). Si quando accesseris ad expugnandam Civitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo; sin autem sedus inire noluerit, & caperit contra te bellum, oppugnabis eam; cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percutes omnes, quod in ea generis masculini est in ore gladii, absque mulieribus & infantibus, jumentis, & bestis, quæ in Civitate sunt. Omnem prædâam exercitui divides, comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi; sic facies cunctis Civitatibus, quæ à te procul valde sunt, & non sunt de his Urbibus, quarum in possessionem accepturus es. De his autem Civitatibus, quæ dantur tibi, nullum omnino permittes vivere, sed interficies in ore gladii.

Hæc igitur ad alia spectabant bella, quàm adversus Chananæos; in illis enim non alia Israelis partes erant, quàm ut pronunciatum olim in illos anathema executioni mandaret. Neque enim gentis adversus gentem res erat, ad præscriptas humanitatis leges, & veluti ex equo gerenda. Dei erant omnia; parère tantum Israelitæ jussu. Ad inevitabile tunc malum & suo capite avertendum datum antea Chananæis tempus: si rebus illi suis per pecuniam consulere recusatant, id sibi fuerat imputandum; norant enim quid grave in se diu ante fuerit statutum. Ita nihil præter æquum sive Deus jussit, sive egisse Israelitæ visi sunt, dum justificationibus divinis obtemperarent.

In bellis indicendis nulla solemnis & consuetæ forma præscripta erat: Jephthe ab Israelitis Transjordanicis in Ducem accitus, renunciandum jussit Ammonitis arma in Israelitas ferentibus: *Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vallares terram meam? Querentibus iisdem Ammonitis de Judæis, tamquam debitam sibi regionem occupantibus, Jephthe post repulsam eorum calumniam, ita tandem conclusit: Judicet Dominus arbiter hujus diei inter Israel & inter filios Ammon.* (n). His simul didis, consertis cum hoste manibus illum fudit fugavitque. Cum Philisthæi infecta arma in ditionem Juda tulissent, ultionem pro incensis messibus suis à Samstone repetituri; ejusdem Tribus viri illos rogatum venerunt (o): *Cur ascendistis adversus nos? Data autem ab illis fide de tradendo Samstone, Philisthæi pedem retulerunt. Post detestabile illud crimen violatæ uxoris Leviticæ à Gabanonitis, Israel in unum cœtum coactus ultionem expetendam statuit; missi tamen prius ad Tribum Benjamin, qui tradendos sibi noxios infami supplicio in medio Israelis*

n Judic. 11. 12.

o Judic. 15. 10. &c.

perimendos, ut opprobrium universæ gentis tolleretur, postulerent (p). Nec nisi postquam Benjaminitæ postulata facere recularunt, arma in illos mota sunt.

Similem indicendi belli morem legimus, cum inter exercitum David, cui Joab imperabat, & exercitum Isboseth, cui Abner, manus conferenda fuit (q): *Surgant pueri, & ludant coram nobis*, ait Abner ad Joab: *Surgant*, respondit Joab: statimque prima veluti prælii velitatio inter duodecim utrinque selectissimos commissa est. Amasias Rex Juda prospero quadam armorum successu adversus Idumæos relato tumens (r), misit ad Joas Regem Israel, qui suo nomine invitarent: *Veni, & videamus nos*. Cui Rex Israel renunciari jussit: *Carduus Libani misit ad cedrum, quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transferuntque bestia saltus, quæ sunt in Libano, & conculeaverunt carduum. Percutitens invasit super Edom, & subvertit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua.*

His minimè acquiescens Amasias arma posposit, commissoque utrinque in Bethlames prælio, victoria penes Regem Israel stetit. Majori factu bellum induxit Benadad Rex Syriæ, cum arma adversus Achab susceperet (s); castris enim è regione Samariæ positis, Feciales ad Regem Israel misit, postulatum: *Argentum tuum, & aurum tuum meum est; & uxores tuæ & filii tui optimi mei sunt*. Cui Achab imparem se resistendo sentiens, renunciari jussit; *juxta verbum tuum Domine mi Rex tuus sum ego & omnia mea*. Eo responso tumensior Benadad per Feciales iterum edixit: *Argentum tuum, & aurum tuum, & uxores tuas, & filios tuos dabis mihi. Cras igitur eadem hora mittam servos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domum servorum tuorum, & omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, & auferent*. Eâ iniquitate commotum Achab cum viri Regi à consiliis, bellum decernendum atque tolerandam obsidionem censuerunt; quam tamen deinde non sine ingenti fuorum dispendio solvere Benadad coactus est. Nechao Rex Ægypti in expeditionem Charcamarum pergens, transitum per regionem Juda tentavit. Josias fines suos valido exercitu defendit; cui proinde Nechao edicendum jussit: *Quid mihi & tibi est Rex Juda? Non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus sellinatio ire præcepit. Desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te*. In incepto persistens Josias, arma in se Ægyptiorum provocavit, quibus victus lethaliique vulnere affectus est.

Decreto jam bello, qui genti præerat sive universo populo, arma capere jubebat si res ita posceret, vel selectissimos quoque mittebat in expeditionem, si minori molitione res agenda fuisset. Josie cum selectissimis, jubente Moysse, manus cum Amalecitis conferuit (t). Univerfus Domini Exercitus cum Sehon Rege Amorrhæorum, & Og Rege Basan congressus est

p Judic. 20. 12.

q 1. Reg. 2. 14.

r 4. Reg. 14. 8. 9. 10.

s 3. Reg. 10. 1. &c.

Copia Hebræorum.

t Exod. 17. 9.